Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66834-p0001-3

RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS.

QUicquid magni hîc mundus in officinâ ſuâ continet, fraudem ac fucum olet, & ſuſpectum eſt; inprimis verò eò temporis puncto, ubi maximè jucundas ſpirat delicias lætos crepat ludos & jocos, adeò ut quod Poëta de infidelibus in mundo cecinit, nos jure de ipſo uſurpare poſsimus mundo, cui etiam ——— ——— ——— *eſt mos*

Fallere, mentiri potius quàm dicere verum.

Nec verbis ſaltem fallit, ſed & factis, profertq; ἐκ τοῦ αὐτοῦ ϛόματος τὸ γλυκὺ καὶ πικρόν, ex eodem ore dulce & amarum Jac. 3. ut hinc Jobus vir vitæ ſanctiſſimæ, inque hac re, ut in cæteris imprimis verſatus, conqueri neceſſe habuerit: Verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. Notate hîc mundi fraudem. Lactucæ oleum ſubminiſtrant & acetum: quidni mundus quoq; & bona & mala? Romanos, *Spei*, ut Divæ cuidam, divinos attribuiſſe legimus honores, eiq; poſuiſſe templum ac ſtatuam, hunc in modum expreſſam: Pingebant virginem viridi indutam togâ, unâ manu flagellum, alterâ aviculam geſtantem; itaq; illius inconſtantiam, mutationem ac varietatem demonſtrabant, utpote, quæ modò ſuo, quem avicula ſignificabat, cantu, nobis blanditur, multaq; ſpecioſa promittit, modò flagris cædit, diriſsimèq; corripit. Hanc Divam ſi Diogenes videret, utiq; & nunc, ut olim reſponderet, eam, cum reliquis adulatoribus inter omnes belluas eſſe crudeliſsimam, quæ videlicet, bonis atq; credulis amicitiæ & candoris larvam imponit, cujus *lingua* dulce ſonat, *cor* tamen acerbum cogitat, profert blanditias, & occultat inimicitias, præ ſe fert benevolentiam, amorem & obſervantiam, retrorſum abdit invidiam, odium & malevolentiam, propinans Lerniferum ſub dulci melle venenum. Veteres etiam Jovem ſuum inter duo vaſa unum malorum alterum bonorum, conſtituêre, quæ inter ſe temperans & bonis mala permiſcens, homines iiſdem potabat, inquiens: *Neq; proſpera ſine adverſis.* Ita enim mundus *miſcet triſtia lætis*, adverſis proſpera temperat, lætitiam dolore perfundit, ventumq; immutans, ſumma imis, & ima ſummis miſcet, poſt ſerenitatem iterum procellas, poſtq; Zephyrum proſperitates, Notos & Aquilones ſuperinducit. Utinam ergò mundum aliud loquentem aliud in animo quaſi clauſum tectumq; habentem *cum Achille apud Homerum*, morte acerbius odiſſe poſsimus! Sed quia penitus mundi fucum evitare non valemus, caveamus modò, ne ut phrenetici moriendo rideamus, & ſuper transgreſsiones & peccata noſtra phreneſi mentis in transverſum acti, jocemur, ſed calidis lachrymis calamitatem & ærumnas noſtras deploremus, gaudiaq; mundanæ *vanitatis*, transmutemus in gaudia *veritatis quod ſuadet Auguſtinus:* cumq; dolemus, oremus, ut Deus, *veluti Davidi, uti gloriatur Pſal. 30.* planctum convertat iterum in gaudium, concidat ſaccum & circundet lætitia. Ita nunc gaudens gaudet in Domino, Clariſſimus & Conſultiſſimus Vir, Dn. SAMUEL CLINGIUS, J. U. D. & Practicus hîc loci nominatiſſimus, exultatq; in DEO ſuo, qui induit eum veſtimento ſalutis, & indumento juſtitiæ circundedit eum, quaſi Sponſum decoratum coronâ. Expertus eſt & ipſe hujus mundi fraudem, modò triſtitiam, modò jubila promittentis. Sed hanc belluam, Divam illam fallacem non exoſculatus eſt, nec in mundo, mundanisq; ſpem poſuit, ſed DEO, humanæ vitæ ſortes meliùs moderanti, & afflictiones in conſolationes, adverſitates in proſperitates, triſtitiam in gaudia, gaudia nempè æterna, perennia ac ſempiterna commutanti, ſuarum viciſsitudinem rerum animamq; commendavit. Qui natus eſt annotante ipſo piè defuncto, anno ſupra milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimo quarto, VIII. M. Julii die, qui Kiliano ſacer eſt, in urbe Ducatûs Megapolitani præcipuâ Plawen / à parente honoratiſſimo ac prudentiſsimo Dn. GEORGIO CLINGEN Senatore ibidem ad annos XXX. & mercatore integerrimo; Matre verò CATHARINA Jägers / fœminâ pientiſſimâ. Ab hiſce parentibus tàm publicâ Scholæ patriæ, quàm domeſticâ inſtitutione, ad veram pietatem, aſſiduas preces, nec non probatos ac placidos mores, & inprimis, ut à via veri minimè erraret, ſed veritatem fraudum neſciam, nunquam non proferret, aſſuefactus fuit. Jactis ergò piis hiſce fundamentis probè, *Magdeburgum* anno M D LXXXIX. miſſus fuit, inſtitutione Dn. SAMUELIS POMARII ibidem ad quinquennium uſurus; quo elapſo, ad capiendum uberiorem doctrinæ paſtum; *VVitebergam* abiit, & quadriennii ſpatio, ſeptemplicis ſtudii artes ac ſcientias, inprimis Logicam & Phyſicam præeuntibus Viris Clariſsimis, D. M. JACOBO COCO, jam Medicinæ D. & Medico Electoris Saxoniæ, &c. Dn. noſtri clementiſſimi, emerito, ut & Dn. M. JACOBO MARTINI, Logices tum Profeſſore, nunc SS. Theol. D. hauſit, illisq;, artem ſacram, doctrinam videlicet, de vero DEORUM DEO, quo fidei ſuæ certitudinem magis magisq; firmaret, adjunxit, & Margaritam uti libellum iſtum vocant, Theologicam, diſputando ſibi fecit familiarem, audiendo inſuper publicè profitentes Dn. D. HUNNIUM & Dn. D. VOLCKMARUM. Revocatus verò anno M D XCVIII. à parentibus domum, & illis de certo ſtudii genere amplectendo ſciſcitantibus, Themidos apprehenſis tabellis, *Altorffinam*, ablegari petiit, peragratâq; Auſtriâ, Moraviâ, Bohemiâ, Sueviâ & Franconiâ, prædicto ibidem anno appulit, & ſub fideliſsimo Juris interprete Dn. D. CONRADO RITTERSHUSIO, Profeſſore ſolertiſsimo, per annum textorum Juris acumina ordine juſto didicit, de in *Jenenſi* in Academiâ, parentum juſſu, ductoribus Viris Ampliſſimis & Conſultiſſimis, Dn. DOMINICO ARUMÆO J. U. D. Dn. D. REUSNERO Com. Pal. Dn. D. VIRGILIO PINGIZERO, & Dn. D. FOMANNO Seniore, tàm audiendo eoſdem, quàm legendo & diſputando legum volumina biennium permanſit, ex jure jus recludens. Hinc *Lugdunum Batavorum* miſſus, ob ſingularem loci amœnitatem & tractandorum ſtudiorum commoditatem diutius ibi commoratus eſſet, niſi peſtilentis morbi contagia per urbem manantia, poſt ſemeſtre, ubi prius virum Reverendum & Excellentiſsimum Dn. FRANCISCUM JUNIUM SS. Theol. D. triduò poſt contagio cum uxore & filiâ extinctum, compellaſſet, illic abire piè denatum juſſiſſent. Abiit ergò peractâ DEO, pro mirabili, media in lue, conſervatione, gratiâ, *Coloniam* ad Rhenum ſe contulit, ubi cum populum in Idololatriâ pontificiâ, damnificis illis umbrarum tenebris ambulantem videret, rectâ *Argentinam* perrexit, ibiq; biennium loci amœnitate, & magnorum virorum Dn. D. OBRECHTI Anteceſſoris Juris, nec non D. D. LEYTERSBACHII Advocati Curiæ, aliorumq; Profeſſorum familiaritate ductus, ſubſtitit. Dehinc *Galliam* excurrens, ſpatio breviore primariores regni civitates & urbes perluſtravit, & exinde, quid ſibi factu, vitatuq; ſit utile, didicit. Non enim, ut multi improvidè ex largâ & ubiq; obviâ vitiorum ſegete collegit ſpicas, aut aranei inſtar veneni ſemina, ſed ita peregrinabatur, ut ſecum non peregrinaretur, aut corruptior rediret, ſuper quo & ipſe piè denatus, DEO ſuo devotas peregit gratias. E Galliâ redux in Argentinam, aliquantiſper *Marpurgum* adiit, nec diu ibi permanſit, ſed poſtquam Profeſſorum Juris Clariſſimorum, Dn. D. HERMANNI VULTEII, Dn. D. GÆDDEI & Dn. D. GODFREDI ANTONII, nec non Theologi celeberrimi, Dn. D. MENZERI vivam vocem percepiſſet, nundinis autumnalibus anni quinti ſupra milleſimum ſexcenteſimum, *Lipſiam* hanc petiit, & ad ſequentem hyemalem uſq; mercatum ſaltem hîc commoratus eſt, literas enim à parente accepit, in quibus, ubi de pallenti matris morbo certior factus eſſet, patriam ſtatim repetiit, & ſenio confectam matrem, omni virium robore exhauſtam, cibique amplius capiendi minùs idoneam, pavit, & ſuâ hâc [illegible] ab illa ſingularem benedictionem reportavit. Eâdem vero aliquantiſper reſtitutâ, parentum ſuaſu in vicina *Roſtochienſi* privatim legendo, utpote qui expertus erat, eum, qui alios doceret, ſemetipſum perficere, multis factus eſt notiſsimus, inprimis vero Dn. D. ERNESTO COTHMANNO, ut & Dn. D. BARTHOLOMÆO CLINGIO familiariſsimus. Menſe tandem Majo anni M DC VI, matre ſeptuagenariâ, & menſe Octobri ejuſdem, patre ætatis ſuæ anno ſexageſimo ſeptimo, leto abreptis, hæreditate etiam feliciter compoſitâ, nundinis anni M DC VII. Lipſiam rediit, Italiam perluſtrandi ſibi animum inducens. Cumq; rudimenta novæ Academiæ etiam *Gieſſenſis* contemplaſſet, ejuſq; ſtatum à Dn. D. MENTZERO Theologo eximio, cujus convictorio, & converſatione utebatur familiariſsimâ, cognoviſſet, *Argentoratum* iterum ſe contulit, per Helvetiam poſteà, & Ducatum Mediolanenſem in Italiam abiturus: verùm affectu hypochondriaco per annum retentus, propoſitum videndi Italiam ſeponere coactus fuit *Spiramq;* regreſſus, Statum Dicaſterii Imperialis exploravit. Hinc *Francofurtum* ad Mœnum tetendit, & tandem *Jenam*, Menſeq; Auguſto anni M DC VIII. *Lipſiam* ob loci & victus commoditatem, & verum divini verbi ac Sacramentorum uſum ſibi arridentem, profectus eſt, eamq; futuræ ſuæ vitæ palæſtram quaſi deliberatò, præmiſſis votis elegit, viduamq; à vitæ caſtimonia, pietate, & honeſtate ſibi commendatam, viri illius hîc & ubivis locorum ob varias ingenii dotes nominatiſsimi, Dn. D. MATTHÆI DRESSERI Utriusq; Linguæ & Hiſtoriarum Profeſſoris, matrimonio, die XIX. M. Junii anni M DC IX, ubi prius eodem anno Menſe Martio in celeberrimâ *Baſilienſi* Academiâ Doctoratûs inſigniis auctus fuiſſet, ſibi junxit, & cum illa vixit conjunctiſsimè, parens tamen ex ea minimè factus ullius ſobolis, quod an felicitatis ſit an infortunii, tàm liberorum quorundam improbitas, quàm ſeculi malignitas facit, ut haud injuria dubitemus. Reliquam vitæ ſuæ rationem ita tenuit, ut virum pium, rectum, & à dolo alienum decuit, quippe qui DEO pro penetranti fulgure Evangelicæ flammæ à Luthero & Zelo ac cœlo pleno, per orbem ſuccenſæ, ingentes egit gratias, inq; privata vita, ſorte ſua contentus vixit, animum in fronte gerens, nihilq; quod non moderatum, non pacificum, non omnem ad humanitatem compoſitum agens, fontes ſuos inſuper derivavit foras, & egentibus ope ac conſiliis ſubvenit liberaliſsimè. Nec tandem mortis fuit immemor, ſed aliquoties in vita cum Paulo diſſolvi petiit, & hâc confeſsione vitæ ſuæ clauſit curriculum: *Jeſum Chriſtum ſeriò dilexi, ejusq; nomen ſubinde in ore & corde habui, & certus ſum ab ejus dilectione, me nihil neq; mortem, neq; vitam, neq; principatum, neq; angelos, neq; præſentia, neq; futura ſeparare & divellere poſſe.*

A Chriſti non me quicquam divellet amore
Nam mihi juſtitiam contulit ille ſuam.

Funeris eſto mei hoc Paulinum concio dictum.
Abs te me Jeſu ſeparet euge nihil.

A morte uxoris deſideratiſſimæ, XI. Septembris anni M DC XXXI. fatis abreptæ, pullaq; veſte decenti tempore ſepoſitâ de mutatione viduitatis cogitavit [illegible] fidemq; dedit fœminæ ſpectatiſsimæ ANNÆ, Ampliſſimi quondam & Conſultiſſimi, Dn. ANDREÆ Goldbecks / J. U. D. & Curiæ provincialis hîc Lipſiæ primum Aſſeſſoris poſteà verò Electoralis Conſiliarii Saxonici, p. m. relictæ filiæ, Viri verò Præſtantiſſimi ac Prudentiſſimi Dn. CHILIANI Gräfens / Senatoris & Xenodochii ad D. Johannis olim Ephori, viduæ; quam hodiernâ utiq; die in domum non ſolùm ſed & thalamum introduxiſſet; verum hæc diſpoſitio erat hominis, aliter DEO placuit, qui ipſum Sponſum præſenti nuptiarum die ex domo & thalamo infert tumulo, nihil efficientibus medicamentis à Medicis ſingulari cum dexteritate, aſſiduaq; curâ adhibitis. Febri enim piè denatus continuâ & quidem malignâ, ex vaporibus & humoribus vitioſis, ex hypochondriis aſcendentibus & ſanguinem inficientibus ortâ, correptus, alias & quidem ſacras celebravit peregitq; nuptias, animam ſiquidem Chriſto unico deſpondit Sponſo, arrhamq; deſuper, corpus videlicet & ſanguinem Chriſti conſtanti fide & ſumſit, & tandem ſpiritum in vera & ardenti invocatione viciſſim reddidit, anno ætatis ſuæ LVIII. Quoniam vero die hodierno hora I. pomeridiana uſitatis ceremoniis corpus exanime ad ſepulturam efferetur; hortamur univerſos & ſingulos Juriſdictionem Academicam agnoſcentes, ut frequentes eo tempore ad ædes piè defuncti conveniant, funusq; hoc comitatu honeſto proſequantur, ſalutem quoq; tum Academiæ, tùm ſuam DEO devotè commendent. P. P. XVII. Aprilis, Anno M DC XXXII.

Excudebat JOHANNES-ALBERTUS MINZELIUS.

30

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66834-p0003-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66834-p0004-0
DFG

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66834-p0005-5

RECTOR ACADEMIÆ
LIPSIENSIS.

QUicquid magni hîc mundus in officinâ ſuâ continet, fraudem ac fucum olet, & ſuſpectum eſt; inprimis verò eò temporis puncto, ubi maximè jucundas ſpirat delicias, lætos crepat ludos & jocos, adeò ut quod Poëta de infidelibus in mundo cecinit, nos jure de ipſo uſurpare poſsimus mundo, cui etiam —— —— —— *eſt mos*

Fallere, mentiri potiùs quàm dicere verum.

Nec verbis ſaltem fallit, ſed & factis, profertq; ἐκ τοῦ αὐτοῦ στόματος τὸ γλυκὺ καὶ πικρόν, ex eodem ore dulce & amarum Jac.3. ut hinc Jobus vir vitæ ſanctiſſimæ, inque hac re, ut in cæteris imprimis verſatus, conqueri neceſſe habuerit: Verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. Notate hîc mundi fraudem. Lactucæ oleum ſubminiſtrant & acetum: quidni mundus quoq; & bona & mala? Romanos, *Spei*, ut Divæ cuidam, divinos attribuiſſe [illegible] unâ manu flagellum, alterâ
[illegible] vicula ſignificabat, cantu,
[illegible] ; & nunc, ut olim reſpon-
deret, eam, cum reliquis a[illegible] cujus *lingua* dulce ſonat, *cor*
tamen acerbum cogitat. [illegible] odium & malevolentiam,
propinans Lerniferum ſ[illegible] ſe temperans & bonis ma-
la permiſcens, homines i[illegible] am dolore perfundit, ven-
tumq; immutans, ſumma[illegible] ducit. Utinam ergò mun-
dum aliud loquentem ali[illegible] s mundi fucum evitare non
valemus, caveamus mod[illegible] cemur, ſed calidis lachry-
mis calamitatem & ærum[illegible] us, oremus, ut Deus, *veluti*
Davidi, uti gloriatur Pſal. 3[illegible] lariſſ mus & Conſultiſſ mus
Vir, Dn. SAMUEL CL[illegible] nento juſtitiæ circundedit
eum, quaſi Sponſum dec[illegible] , Divam illam fallacem non
exoſculatus eſt, nec in m[illegible] in proſperitates, triſtitiam in gaudia, gaudia nempè æterna, perennia ac ſempiterna commutanti, ſuarum viciſsitudinem rerum animamq; commendavit. Qui natus eſt annotante ipſo piè defuncto, anno ſupra milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimo quarto, VIII. M. Julii die, qui Kiliano ſacer eſt, in urbe Ducatûs Megapolitani præcipuâ Plawen / à parente honoratiſſ mo ac prudentiſsimo Dn. GEORGIO CLINGEN Senatore ibidem ad annos XXX. & mercatore integerrimo; Matre verò CATHARINA Jägers / fœminâ pientiſſ mâ. Ab hiſce parentibus tàm publicâ Scholæ patriæ, quàm domeſticâ inſtitutione, ad veram pietatem, aſſiduas preces, nec non probatos ac placidos mores & inprimis, ut à via veri minimè erraret, ſed veritatem fraudum neſciam, nunquam non proferret, aſſuefactus fuit. Jactis ergò piis hiſce fundamentis probè, *Magdeburgum* anno M D LXXXIX. miſſus fuit, inſtitutione Dn. SAMUELIS POMARII ibidem ad quinquennium uſurus; quo elapſo, ad capiendum uberiorem doctrinæ paſtum; *VVitebergam* abiit, & quadriennii ſpatio, ſeptemplicis ſtudii artes ac ſcientias, inprimis Logicam & Phyſicam præeuntibus Viris Clariſsimis, D. M. JACOBO COCO, jam Medicinæ D. & Medico Electoris Saxoniæ, &c. Dn. noſtri clementiſſimi, emerito, ut & Dn. M. JACOBO MARTINI, Logices tum Profeſſore, nunc SS. Theol. D. hauſit, illisq;, artem ſacram, doctrinam videlicet, de vero DEORUM DEO, quo fidei ſuæ certitudinem magis magisq; firmaret, adjunxit, & Margaritam uti libellum iſtum vocant, Theologicam, diſputando ſibi fecit familiarem, audiendo inſuper publicè profitentes Dn. D. HUNNIUM & Dn. D. VOLCKMARUM. Revocatus verò anno M D XCVIII. à parentibus domum, & illis de certo ſtudii genere amplectendo ſciſcitantibus, Themidos apprehenſis tabellis, *Altorffinam*, ablegari petiit, peragratâq; Auſtriâ, Moraviâ, Bohemiâ, Sueviâ & Franconiâ, prædicto ibidem anno appulit, & ſub fideliſsimo Juris interprete Dn. D. CONRADO RITTERSHUSIO, Profeſſore ſolertiſsimo, per annum textorum Juris acumina ordine juſto didicit, de in *Jenenſi* in Academiâ, parentum juſſu, ductoribus Viris Ampliſſimis & Conſultiſſimis, Dn. DOMINICO ARUMÆO J. U. D. Dn. D. REUSNERO Com. Pal. Dn. D. VIRGILIO PINGIZERO, & Dn. D. FOMANNO Seniore, tàm audiendo eoſdem, quàm legendo & diſputando legum volumina biennium permanſit, ex jure jus recludens. Hinc *Lugdunum Batavorum* miſſus, ob ſingularem loci amœnitatem & tractandorum ſtudiorum commoditatem diutius ibi commoratus eſſet, niſi peſtilentis morbi contagia per urbem manantia, poſt ſemeſtre, ubi prius virum Reverendum & Excellentiſsimum Dn. FRANCISCUM JUNIUM SS. Theol. D. triduò poſt contagio cum uxore & filiâ extinctum, compellaſſet, illic abire piè denatum juſſiſſent. Abiit ergò peractâ DEO, pro mirabili, media in lue, conſervatione, gratiâ, *Coloniam* ad Rhenum ſe contulit, ubi cum populum in Idololatriâ pene tificiâ, damnificis illis umbrarum tenebris ambulantem videret, rectâ *Argentinam* perrexit, ibiq; biennium loci amœnitate, & magnorum virorum Dn. D. OBRECHTI Anteceſſoris Juris, nec non D. D. LEYTERSBACHII Advocati Curiæ, aliorumq; Profeſſorum familiaritate ductus, ſubſtitit. Dehinc *Galliam* excurrens, ſpatio breviore primariores regni civitates & urbes perluſtravit, & exinde, quid ſibi factu, vitatuq; ſit utile, didicit. Non enim, ut multi improvidè ex largâ & ubiq; obviâ vitiorum ſegete collegit ſpicas, aut araneì inſtar veneni ſemina, ſed ita peregrinabatur, ut ſecum non peregrinaretur, aut corruptior rediret, ſuper quo & ipſe piè denatus, DEO ſuo devotas peregit gratias. E Galliâ redux in Argentinam, aliquantiſper *Marpurgum* adiit, nec diu ibi permanſit, ſed poſtquam Profeſſorum Juris Clariſſimorum, Dn. D. HERMANNI VULTEII, Dn. D. GÆD-[illegible] nundinis autumnalibus anni quinti ſupra milleſimum ſex-